…ulus Ioannes

Prokopowic Casimiri: Colossus immortalis gloriae et honoris virtuti, sapientiae et meritis Pauli Joan. Wojewodzki erectus.

COLOSSUS
Immortalis Gloriæ & Honoris, Virtuti, Sapientiæ, & Meritis,
Perillustris, Clarissimi, & Admodùm Reverendi Domini,

D. M. PAULI IOANNIS WOIEWODZKI,

S. THEOLOGIÆ DOCTORIS & PROFESSORIS, Collegæ Majoris, Ecclesiarum Collegiatarum, S. FLORIANI CUSTODIS, Pilecensis CANONICI, Lenczyciensis CANCELLARII, Cathedralis Cracoviensis pro Solennitatibus CHRISTI Domini & B. V. MARIÆ CONCIONATORIS, Minogensis CVRATI,

Auspicato, in Frequentissima Nobilissimorum Hospitum Corona, suæ Responsionis Actu,

PRO LOCO,

Inter Perillustres & Admodùm Reverendos Dominos,

IN ALMA VNIVERSITATE CRACOVIENSI, Sacræ Theologiæ Doctores, obtinendo,

A

M. CASIMIRO PROKOPOWIC,

Philosophiæ Doctore, Novodvorsciano Rhetorices Professore,

in vim debitæ Venerationis & observantiæ, opere Elogiastico

ERECTVS.

Anno Domini 1691. 6to. Kalend. Septembr.

CRACOVIÆ, Typis Vniversitatis.

COLOSSUS
Immortalis gloriæ & Honoris.

AD excelſa faſtigia Regum aſcendere,
triumphales gloriæ pompas,
Thronos, Purpuram,
& immortalis Septizonia honoris moliri;
tam dulce eſt mortalibus,
quàm maximis opum, fortunarumq; impendijs,
fervido Nominis voto,
faſtu ac viribus, & cælato opere,
ſuperbæ Antiquitati
pro ſublimibus laboratum eſt Coloſſis.

Ita,
impulſu gloriæ maximo,
ceu percitus œſtro, quiſq; mortalium
eminere, non deprimi,
capacem cuiuſq; aſpectûs Orbis ſerenare vultum,
non ſqualere in tenebris,
ſupercilio honoris gaudere & potiri,
non caſſo pumilionum ſtudio,
ad exeſas montium rupes circumſtrepere cupit.
Cunctos ad immortalitatem ſuo flamine gloria accendit,
& reſpectus inſtigat honeſti.
Hinc plurimi, non feruentiori deſiderio vitam,
nec maiori pretio cogitata cimelia rerum;
quàm excelſas honoris mercantur opes,
& pro immortalibus gloriæ faſtis decertant;
vtriq; commune & ingens ſtudium eſt:
& quem virtus, deriuatiq; à Dijs vſq; Genius Generis,
magnâ felicitatis induſtriâ,
à vili contemptaq; diſcrevit plebecula;
& quem ſors anguſta, ad inopiam ſtrictis ſuis legibus damnavit;
quomodo ſe humo tollere poſſint,
& alti gradibus honoris ſcandere ſumma faſtigia;
licet non utriq; idem pro gloria labor.
Abſumunt pretia rerum mortales,
grandi laboris anhelitu,

fragi-

fragilem interdum corporis sui exhauriunt thesaurum,
profundunt opes, non cauent pericula rerum,
damna ingentia non apprehendunt soliciti;
dummodo post se relinquant, admirandi cuiusquã operis negotiũ,
& sublimes gloriæ immortalis,
Nominis sui elogio sculpant Colossos,
quos laudet, & stupeat sera Posteritas;
aut æmulâ Meritorum, Honorisq; magnitudine,
ad similes heroico impulsu accendatur ausus.

*Etenim non tantùm laudari, haberiq; secundis à fortuna rebus
sed exponi in exemplar, quod imitentur cæteri,
quisq; se magno adigit ausu,
& omnem movet lapidem;
ut his artibus industriæ secula vincat.*

Et quòd interdum laudamur,
virtus, aut stulta assentatio populi argumentum est,
parumq; sic proficit ad immortalitatem memoria nostri,
si ad speciem tantùm,
vanis adulantium plausibus vrgemur.
Feliciùs ferimur per manus,
perque ora volitamus virorum,
si exactis ad mensuram temporum annis,
statoque Superûm decreto,
in aliam huic longè dissimilem vitæ stationem evocati,
hîc relinquimus;
quòd æterna virtus, immortalibus titulis
nobis ad gloriam, veluti indelebilis monumentum honoris,
omni ære perennius,
excelsis scribat in Colossis.

HOC TUA
Diviniori metallo cælata virtus,
& omni pretio rerum æstimata Sapientia,
stupendo, gloriæ immortalis, & honoris assurgit opere,
Perillustris, Clarissime, & Admodùm Reverende Domine,
D. PAVLE WOIEWODZKI,
sublimem quamq; Virtutum & sapientiæ celsitudinẽ,
Tuorum altitudine meritorum, & ingenio,
adæquans Colosse.
Basilicum in Te Virtutis & Sapientiæ opus,

quod

quod felicius Mirone,
augustius Praxitele ipso,
solicitus construxit labor,
meritò Lechicus veneratur & suspicit Orbis;
qui nihil mediocre, nihil humile,
præterquam animi Tui submissionem;
nihil non magnificum,
à felicioribus vsq; progressus Cunis cogitâsti.
Sæpe namq; Adolescentum pectora & animos,
magnus gloriæ inflammat ardor;
ut egregio bullati Papyrij facto,
viros se in prætexta monstrent;
& conclamatum inter leues gestientis ætatis lusus,
viri aliquando altiùs in Remp: sublati,
magno consensu fortunæ consalutent Regem.

Hæc Te Vir Maxime,

omni meliori voto arripuit,
traxitque fax mentis honestæ gloria,
Tuæque virtuti non aliud imposuit negotium,
nisi ut Te summo Honoris artificio,
in sacro fundamento virtutum,
maximis fidei Orthodoxæ firmatum basibus,
ingenti dedolatum labore,
solicitudine & ingenio felicem,
moribus & cultâ Adolescentiâ conspicuum,
ornatum sapientiâ,
sublimem formaret in Colossum.
Sponte quippe iuuant,
& maxima dant ad honorem auspicia Diui Præstites,
si dignum inveniant fastigio Caput.
Non infrequenter evenit,
Agathoclem vix parem figulis,
parem, si non altiorem Regibus evasisse.
sæpe cælum & fortuna voluit,
ab aratro Fabricium,
quem trepida ante boues Dictaturam induit vxor,
Fascibus post boues, & imperio Romanisq; præficere;
ut qui procul invidiâ, procul ambitione & vitijs,

exiguo

exiguo virtutem privatus sanctè coluit agello,
admissa in Remp. scelera,
publico consensu legum,
flagello Iustitiæ cæderet Dictator.

Tibi Sapientissime Doctor,
non infima Sors nascendi contigit;
sed quia fumosas Maiorum imagines,
genus Nobile,
absque virtute & meritorum adminiculo,
uilius algâ censuisti,
ideo claris Natalibus ortus,
non confisus sangvini;
quem à magnis Parentibus traxisti,
etiam virtutem, gemmeos sine pretio mores,
& verum amplexus laborem,
prima gloriæ & Honoris Tui inde auspicatus es tyrocinia,
unde non erubuisti,
in excelsum sapientiæ, & immortalis famæ
surgere Colossum.

Continuò sudati dedolabant Te labores, in opus magnificum;
sed magis efformabat virtus:
consumatus tanti operis artifex mentis augustæ providentia,
addebat semper & pretium & decorem Tibi:
expolliebat felix illa magnorum ingeniorũ dolabra,
integerrima ædificabant innocentis vitæ exempla,
sublimabat Sapientia,
firmabat exacta ad Lydium lapidem vitæ perfectio;
donec ex voto augustæ Matris,
nutricis nutriciæq; Regum,
Celeberrimæ Vniuersitatis Cracoviensis,
reuirescentes Tibi advenêre Coronæ,
quæ Te feliciùs,
Perillustris, & Admodùm Reverende Domine;
quàm superbas olim,
sua Phalærei Attica præcinxit statuas lauru.

Quidni Tuo illæ debeant
opere & artificio coæquari Colosso?
quæ ambitioni, ad breuem decursum annorum,

immodico fastu ponebantur:
Hic Tuus stabit immortalitati,
& sæcula vincet.
Frustra Rhodus coram Orbe,
solis iactavit Colossum:
frustra scalprum, serras, malleos, & artifices fatigavit,
ut superbo laboris molimine
æternitati opus porrigeret;
quod suis tantò ignonimiosiùs corruit fragmentis,
quantò maiori dementiâ & sacrilegio,
consecratum Soli,
nunc prope vix non fabulam olet.
ruunt enim sublimi elevata fastigio,
& suorum malorum fasce obruta iacent,
quæ vana ambitio, fastusq; ingens extulit in altum.
Et nisi ex sententia Democriti,
magno famæ anhelitu turgidi suam circumdant altitudinem,
sensum & immortalitatem non relinquunt.
Magnum quidem aliquid spirare videntur,
sed parum valent,
& momento suâ mole ex oculis abeunt,
quæ ingens vanæ gloriæ, & ambitionis stimulus,
quasi æternitati parabat.
Quod si ex umbra Cedrus,
ex saxis Pyramides,
& ex bracteato opere Capitolium cognoscitur.
TU
Vir Maxime.
ex augusto sapientiæ artificio,
immortalis gloriæ & Honoris structura
diceris Colossus:
Rhodio felicior:
Nam maiori prudentiâ factus,
& uni DEO,
veroque Numini,
non falsa superstitione Soli Sacratus,
verum est,

quia

quia ut ſol in meridie,
clariſſimis Sapientiæ fulges ſplendoribus;
& ubique in vultus omnium,
ſerenâ fronte, & virtutum auguſtâ maieſtate
oriris, ceu ſol poſt nubila clarus.

Verum eſt,

quia Te ſumma laboris ſolicitudo perfecit,
minori intervallo annorum,
quàm ſuum Rhodus Coloſſum:
etenim maiori paſſu, & virtute,
Tu ſaltâſti Rhodum & ſaltum;
non tamen per ſaltum,
ſed ex intervallo,

Magnus in Sapientia evaſiſti Doctor
& Coloſſus.

Vbi fama, iam ſcribat,
laudatiſſimæ Profeſſionis Tuæ in Academia momēta,
non levi laboris curriculo,
emenſos ad utraq; Collegia altiores gradus;
ſcribat & gloriam,
quâ non mediocriter animatus,
etiam fortunatiſſimum per Amnem,

Illuſtriſſimorum & Excellentiſſimorum
Principum S. R. I. LVBOMIRSCIORVM,

velis remisq; meritorum contendens,
ad portum Honoris adnavigâſti,
Iaſone felicior Nauta:
nam ille aureo nonniſi vellere:
Tu Nominis immortalitate,
pro qua omni pretioſo certatur paratu,
potitus es.

Feciſti Maxime Doctor PAVLE,
in Principe Domo,
cum Ill: FRANCISCO Olſztinenſi,

GEORGIO Casimiriensi,
CAPITANEIS:
Illustrissimi & Excellentissimi olim,
GEORGII LUBOMIRSKI,
Supremi Regni Poloniæ Mareschalci,
& Exercituum Campiductoris,
Filijs Heroibus;
vt PAULUS Athenis cum Dionysio fecerat,
nisi quòd ille ex Duce Sapientiæ;
Tu ex S. R. I. Principibus,
etiam Duces Sapientiæ, & Bellonæ Antesignanos
Agamemnones formâsti.
O quàm iucunda Tui, non tantùm Nominis;
sed Professionis etiam, & fidei
cum Tuo Apostolo cognatio est!
Nam ille ex persecutore Ecclesiæ,
destructoreque; fidei defensor,
& artifex Verbi DEI factus,
ut Athenas veram edoceret Sapientiam,
stultitiam huius mundi Sapientiam edixit;
ut omnes falsorum statuas Deorum demoliretur,
unam nonnisi Ignoto Deo non permisit evelli,
& quem nondum cognoverant,
unum ipse adorare & colere DEUM,
manifestavit:
Tu Divinæ Doctor Sapientiæ,
quia similiter vt Apostolus agis,
& non habes, quas Deorum statuas tollas,
magnificum sapientiæ assurgis in Colossum;
ut olim Ignoto DEO,
stes tota æternitate dicata statua,
cum hac gloriæ Epigraphe:
uni DEO Colossus esto.
sed iterum, scribat murice purpureo,

Tuas

Tuas Decanales curas improbus labor;
ſcribat perplexos, vaſtoſq; conſummati Curſûs Philoſophici paſſus
ſcribat Profeſſionis Tylicianæ elogia, in Coloſſo?
quibus Polonum, literatumq; impleviſti Orbem;
& ſummus pro Roſtris Academicis Orator,
Mortem,
Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi Principis,
DEMETRII GEORGII
KORYBVTH,
Ducis in Wiſniowiec & Zbaraz,
Caſtellani Cracovienſis,
& Supremi Exercituum Regni Poloniæ Ductoris,
diſerto ſatis, & laudâſti, & doluiſti calamo.
venit & exinde immortalis gloria Nominis,
ſcire Viros Principes laudare.
ut enim ingenioſi quiq; ex induſtria artifices,
ex pretio & honore metalli;
ita exacta ingenia ex magnorum laudibus Virorum,
ſuam æſtimationem merentur.
Non aliter Vir Maxime,
cenſus & expenſus es in domo ſapientiæ;
quàm ut par cuiuſq; ſublimitatis exiſteres laudator.
Ideò inter porticus Stoæ non relictus,
evocatus ad divinioris ſcientiæ magna ſubſelia,
ſtetiſti opere mirando;
2 Curſum Theologicum,
1 etiam ibidem immortalis gloriæ Coloſſus,
3 vix non binis laborum Olympijs emenſus,
magnus gloriæ ſtadiodromus,
iam quidem immortalibus coronatus trophæis,
ſtetiſſes in Capitolio Sapientiæ,
niſi Te diſertum Eccleſiaſtem,
in ſublimi Coronati Vavelli vertice,
boni Superi, amorque, videndi pulchra & egregia,
Votaque, Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini,
D. GEORGII VANDALINI
MNISZECH,

Palatini Volchyniæ &c. &c.
non uni tantùm Poloniæ,
ſed Galliæ, Germaniæ, Belgis, Latio,
cælati operis Coloſſum oſtendere voluiſſent,
eò maiori gentium miraculo,
quò ubique virtute, & ſapientiâ conſpectior,
præſertim Lovanij in Celeberrimo illo Studiò apparebas.
Nefas eſt domeſtico virtutem premere in angulo,
ſi alibi pulchriori voto,
Nominis immortalitati gloria ſuccurrit.
Vidit Te Gallia, vidit & Sorbonæ Maieſtas;
ſed etiam & Coloſſum ſapientiæ admirata eſt.
vidit Orbis delicium Heſperia,
tantoque coluit intimiùs, quantò feliciùs,
Sanctiſſimo olim Pontifici Romano
ALEXANDRO VIII. dilectus,
exoticam docuiſti Sapientiam,
poſſe eiuſmodi in Polonia erudiri PAULOS,
qui non ſolùm Athenis coram Areopagitis,
ſed Romæ in Capite Orbis,
& coram Purpurato Eccleſiæ Senatu
atque Sanctiſſimis Pontificibus diſputent.
itaque Celeberrime Doctor,
iam Divorum ope, auxilioque virtutum,
ſapientiæ & laboris impendio,
capeſſe Theologici Honoris faſtigium,
& Te in ſublimem attolle verticem gloriæ Coloſſe?
Viue ex faſtis ſapientiæ, immortalis ſecula honoris,
Orbis Literati DECUS & CORONA?
aſcende, ut ſoles meritis plus ultra?
quò ſuperi, laborque, pro DEO vocant?
fata volunt, virtuſque poſcit, aſcende?
ut ſis gloriæ immortalis,
Sapientiæ, & Honoris,
COLOSSVS.

Permiſſu Magnifici Domini
RECTORIS.